Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 561
Quelle:
Copyright:

nostri *Zuverlässige Nachr. v. d. vornehmst. Schriftstellern.* P. II. p. 574. et P. III. p. 38.

CXC. N 76

491 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 189. 4. a diversa manu currente calamo scriptus complectitur sequentia: I. Indicem Contentorum in *Origenis Homiliis* in IV. priores Libros *Moysis*, prout ex *Rufini* interpretatione extant edit. *Maur. Opp.* T. II. *Paris.* 1733. p. 52. f. Initium: *In prima Omelia Origenis super genesin ponitur de inicio creaturarum. Quare arida appelletur terra* &c.

II. *fol.* 15. Tractatus e Scripturae, Patrum et Conciliorum effatis coagmentatus de Dispensatione prudenti et fideli Sacramentorum, cui manu coaeva inscriptum: *Magistri Jacobelli*, id est: *Jacobi de Misa* Theologi *Prag.* Partium Hussiticarum. Initium: *Quia dispensatoribus in domo dei sacramentorum precipitur Math. VII. Nolite sanctum dare canibus* &c. Nihil in hoc Scripto absonum, cujus nemo eorum, qui de *Jacobello* egere, quod sciam, meminit.

III. *fol.* 39. *Excerpta de tractatu fidei contra diuersos errores super titulum de Summa trinitate et fide catholica in decretalibus contra illos qui non recipiunt purgatorium.* Triplex hic error impugnatur: *quod nullum peccatum est ueniale, quod quando dimittitur culpa, dimittitur pena*, et *quod suffragia ecclesie non prosunt mortuis.* Contra *Wicleffianos* in *Bohemia* Scriptum dirigi puto.

IV. *fol.* 51. Sententia catholica de Adoratione Crucis Christi, quae in *fol.* Codici praetexto dicitur *Magistri Stanislai de Znoyma.* Praemittuntur varia de triplici Cultu Latriae, Hyperduliae et Duliae, quid sit Adorare, Colere, quibus conveniens, de SS. Reliquiis, de piis Peregrinationibus, tandem triplici responso Crucis Adoratio et Veneratio adferitur. Initium: *Secundum sanctos doctores communiter loquentes videamus fraterne, quid sit venerandum* &c. Ad calcem: *Et sic est finis trium responsionum ad questionem qua queritur, Quomodo et qua adoracione Crux in qua Dominus noster pependit pro salute humani generis sit ueneranda. A. d. M° CCCC° XVIII. feria II. ante viti Martiris.* Quod de anno scriptionis intelligas, velim; Autor enim *Stanislaus*, si *Lupacio* in *Ephem.* ad d. 11. *Octobr.* fides, jam anno 1414. e Concilio *Const.* revertens mortem obpetiit. Porro de hoc ejus Opusculo nullam mentionem fieri video.

V. *fol.* 75. Collectanea varia, maximam partem e PP. Scriptis de diversis materiis, puta Sacerdotio, S. Caena, Eleemosyna &c. aliqua tamen Chronologica, et Moralia versibus et Rhythmis inclusa. Ita initio Chronologia sacra Evangelistarum, Patrum et Ordinum Religiosorum, ubi inter alia: *Anno domini 608. concedit impe-*